

† P. P. Ioannes Hofer (1879-1939)

(*Prov. Austr.*)



Mori necesse est, at nescitur, ubi; sic procul dubio etiam P. Hofer in vita sibi dixit, nullo tamen modo praevidens, se ipsum non in patria, sed Romae in Insula Tiberina primo die centesimi a canonizatione Fundatoris anni hanc terrestrem vitam finitum esse.

Merani natus est d. 6 Dec. 1879, ergo in illa australi Tirolidis plaga, quae inde ab exitu magni belli sub Italica ditione est. Inter eius proavos est clarissimus Andreas Hofer, vindex et victima libertatis patriae. Iam in prima aetatula Ioannes Hofer Oenipontem venit, ubi nostri antiquitus collegium habent, et vocem Redemptoris audivit ad suam Congregationem invitantis. Tirocinium fecit duce Servo Dei Gulielmo Jannauschek, cui per totam vitam gratum servavit animum, et festo S. Alfonsi 1899 Eggenburgii vota perpetua emisit, iisque fidelis mansit usque ad mortem.

Exacto post ordinationem sacerdotalem (31 Iul. 1905) anno venit Lector in iuvenatum Katzelsdorfiensem. Quod si excipias sex menses lectoratus Mauternensis et sex annos (1908-1914) studiorum altiorum, praesertim historicorum, in Facultate philosophica Universitatis Oenipontanae transactos, inde ab a. 1906 ad a. 1938 semper in Katzeldorf vixit iuvenatus Lector, simulque sive Rector, sive Director, sive publicus studiorum Moderator. Quantum itaque hoc Provinciae Austriacae Seminarium uni P. Hofer debeat, paucis verbis exprimi nequit. Imprimens ei sui animi notam promovebat inter iuvenes pietatem virilem, nutritam inspiratis S. Scripturae libris et sacra Ecclesiae liturgia. Ad augendam devotionem erga excelsam Dei Genitricem inter iuvenistas Congregationem Marianam erexit. Solidae scientiae amorem ab hoc viro doctissimo inculcatum esse patet.

Finito bello exstitit Superiori suo Provinciali Aloisio Oberrauch suasor, ut spreto magnis, quae obstabant, difficultatibus, externa iuvenatus fabrica funditus innovaretur et ampliaretur; quod opus grande ante completum quadragesimum iuvenatus annum (1924) Deo propitio absolutum est¹. Etiam id obtinuit perseveranti sua opera, ut ephebeum nostrum publicae scholae iura acquireret. Sic mense Maio 1938 prima apud nos maturitatis

¹ Videtur *Analecta* 1924, 204-209; 1925, 255-257.

examina facta sunt; prima et, proh dolor! ultima¹. Tandem P. Hofer auctor fuit, ut omnium iuvenatum Germanicorum Directores Bonnam convenirent deliberatum, qua via et ratione melius huius instituti finis obtineri posset.

Iuventuti nostrae P. Hofer semper erat veneratus et carus. Admirabantur non modo magnam eius scientiam, sed vel magis solidas virtutes: pietatem, mortificationem, modestiam, fidelitatem, constantiam.

Partialis chordarum vocalium paralysis Patri Hofer vitam missionalem non permittebat, et docendi quoque munus gravatum reddebat; nihilocius sat multas contiones breviores habuit, et libenter quidem atque egregie. Nonnullas etiam contiones publici iuris fecit. P. Procurator Emmanuel Rasl († 1928), vir sanctus, quondam dixit se semper cum certa laetitia ad audiendas P. Rectoris Hofer conferentias properare. Sic confrater defunctus perpulchram habuit seriem conferentiarum de sancta Instituti Regula, singula praescripta quaquaversus explanans. Anno 1932, completis Congregationis nostrae duobus saeculis, in sacello iuvenatus sueta sua claritate et profunditate ac persuadendi vi exposuit, quomodo etiam in dilecta Societate Alfonsiana quatuor « notae » Ecclesiae Christi refulgeant, ita ut sit et esse debeat *una, sancta, catholica, apostolica*; cuius orationis viva memoria adhuc in mentibus eorum, qui aderant, perseverat; neque ita loqui poterat, nisi sincerus Congregationis amator.

P. Hofer « defunctus adhuc loquitur » suis scriptis, in quibus exarandis cum servaret illud: *festina lente*, et *nonum prematur in annum*, omnia, sive maiora sive minora, maturitatem quandam ostendunt et sua soliditate ac moderata quoque formae venustate cuiusvis legenti placent. Inter ea eminent duo opera hagiographica, omnium iudicio « classica », ut dicitur. Vita S. Clementis M. Hofbauer ad tres editiones pervenit, et in tres linguas (Neerlandicam, Anglicam, Gallicam) translata est. Confratri vituperanti hanc vitam non satis aedificationi accomodatam esse, auctor — et erat dictum verum Hoferianum — respondit: « Si *veritas* non aedificat, qui tandem hoc praestat? » — Quidam P. Americanus nobis confessus est, se hunc librum iam ter legisse, et tanta quidem aviditate, qua fabulae « romanticae » legi soleant,

Altera biographia vel maior est S. Ioannis Capistrani vita, cuius versio Anglica in America nunc fit vel forte iam facta est. Ad illam vitam parandam auctor multa archiva perlustravit et praesertim rigida hieme 1927/28 Capistrani inter asperos Aprutii montes ingentem laboris molem absolvit. Miretur forsitan aliquis, cur Redemptorista de hoc Franciscano scripserit; scire igitur oportet, Patrem Hofer suam doctoratus dissertationem

¹ *Analecta* 1938, 264.

sub cl. Prof. Dengel scripsisse de Gulielmo de Occam, O. F. M.; et paulatim singularem Franciscalis historiae cognitionem sibi acquisivisse. Kätzelsdorffii vivebat in ex-conventu Franciscano, et legens in historia Summorum Pontificum a cl. Ludovico de Pastor scripta adhuc desiderari magni illius Ioannis Capistrani vitam exigentiis hodiernis satisfacientem, huic magno operi se accinxit.

Ad novam S. P. N. Alfonsi vitam exarandam faventibus Superioribus anno praeterito libenti animo Romam se contulit. Advenit d. 16 Octobris et statim studia necessaria methodo sua longa experientia probata aggrediebatur. Sed vires eius magna ex parte iam erant fractae. « Cum mane — sic quondam inquit — per aliquot horas difficilem librum JEMOLO, *Il Giansenismo in Italia* legi, post meridiem cogor ad laborem faciliorem me convertere ». Attamen servus bonus et fidelis satis laboraverat, et Dominus stabat ante portam, mercedem daturus. Mense Decembri dilectus confrater coepit feбри nervosa seu typhoidali laborare. Die 18 Decembris magna pietate recepit ultima sacramenta et post triduum ad Fratres Hospitalarios S. Ioannis de Deo delatus est. Ibi igitur ultimum suum onomasticum, festum S. Ioannis Evangelistae, ad mortem aegrotus, egit, et Kalendis Ianuarii, hora 8 vespertina, in pace Christi quievit.

Eius indoles melius forte comprehendere nequit quam his tribus verbis: erat vir religiosus Redemptorista. Hic *vir*, sensu vocis proprio, abhorrebat ab omni in rebus adversis inutili lamentatione, et ut verus historicus omnia facta, etiam ingrata, sine questibus accipebat. In ultimo morbo singulari animi fortitudine morti obviam ivit, licet durum certe ei esset, quod inceptum de dilecto S. Patre Alfonso opus perficere non posset. In nosocomio dixit animo imperturbato cuidam confratri: « Quodsi sabbato adhuc vixero, rogo ut R. P. N. veniat ad confessionem meam hebdomadariam excipiendam. »

Erat vir vere *religiosus*. Quidam, qui per 16 annos cum eo vixit, ait se testari posse, Patrem Hofer multum orasse. Verum in pietate quoque ab omni ostentatione alienus erat. Humilis et modestus nolebat inter fratres apparere scientia aut ingenio superior; quidquid autem minus gratum ab aliquo recipiebat, illico condonabat.

Tandem hic *Redemptorista* amabat sincero amore suam familiam religiosam, ut iam dictum est, et totus erat in bene formandis futuris Instituti sodalibus. Quae cum ita sint, Patris Hofer nomen in Provincia Austriaca et in tota Congregatione semper nominabitur cum amore et veneratione.